

gulis Cancellarię Apostolicę editis et edendis, ac Bonifacii. 8. de vna &c. et aliis Apostolicis, ac Prouincialibus, Capitularibus, Generalibus, specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et in vltimo Generali Concilio Lateranensi celebrato, et aliis Concilijs editis &c. Et omnem tollit restrictionem si quę facta est per alios Pontifices : et si aliquod priuilegium reuocatum est, pristinę restituit dignitati. Hoc Breue habetur Authenticum et impressum in lib. Priuilegiorum Fratrum Prædicatorum cura et diligentia Reuerendissimi Patris Stephani Vfus maris Magistri Generalis excusso fol. 258.

7 ¶ Doctissimus Pater Magister Alphonsus à Veracruce in huius Breuis explicatione aliqua notanda esse dicit, quę faciunt in fauorem Religiosorum à Paulo. 4. concessa ad instantiam Magistri Generalis Prædicatorum.

¶ Primo omnia priuilegia hic posita et omnia alia et singula quę habentur, ac si sufficienter essent expressa, et de verbo ad verbū posita confirmat approbat et innouat quomodocunq; concessa, siue Ordinibus Mendicantium, siue non Mendicantium personis vel domibus seu locis, et perpetuā vult habere firmitatem